

*Cap. ix.* Constitutio 23. tit. 3. lib. 1. Cod. facit mentionem Flaviani & ejicit Eutychem. Constitutio vero 38. ejusd. tit. ait, quod non oporteat Episcopos, aut Clericos cogere aliquos, ut fructus offerant, aut angarias præstent, vel propterea vexare, vel excommunicare, vel anathemate ferire, vel non baptizare, vel Eucharistiæ sacramentum non porrigere, tametsi consuetudine id invaluerit. *Cætera. Bals. Schol.* Const. 23. t. 3. lib. 1. Cod. non est posita in Basil. neque Const. 38. ejusdem tituli, nec vero illis animum advertas.

*Cap. 10.* Constitutio 14. tit. 3. lib. 1. Si (inquit) qui judicio Episcoporum ab Episcopatu detrusus est, contra quietem publicam aliquid faciat, & invadere eundem Episcopatum velit, procul ab urbe ad centum milia propellitur: nec adeundi Principem, aut accipiendæ rescriptum, facultatem habet: quia etsi rescriptum impetravit, nullum inde commodum capit, ac defensor ejus, indignationem subit. Et 23. Constitutio ejusd. tit. Eutychem ejicit. Et Const. 5. tit. 1. novellarum, Petrum, Anthimum, Severam, & Zooram expellit, iis qui Severi scripta habent, nec comburunt, alias pœnas & abscissionem manuum interminata. *Bals. Schol.* Const. 14. tit. 3. lib. 1. Cod. est lib. 3. Basil. tit. 1. c. 1. quod eadem dicit. Const. 23. tit. 3. lib. 1. Cod. non est posita in Basilicis. Constitutio 5. tit. 1. Novellar. est novella Justiniani 41.

*Cap. 25.* De veneficis, mathematicis, similibusque. Tit. 18. liber 1x. Cod. Constitutio 1. hæc statuit. Plus est veneno, quam gladio occidere. Constitutio 2. Geometriam scire, utile est; ars autem mathematica interdicta est & damnata. Const. 3. nullus artifex aut Sacerdos aut eorum quisquam, qui huic ritui ministrant, ob ullam omnino causam ad aliquem, tametsi amicus ipsius sit, introeant: alioquin & ipse concrematur, & qui ipsum convocaverit, post bonorum confiscationem, deportatur: & eum qui vult, accusat. Const. 4. qui magicis artibus salutem hominum, aut pudicitiam invidiantur, puniuntur: non autem qui per illas hominibus medentur.